

1.  
2.  
3.  
4.  
5.  
6.  
7.  
8.  
9.  
10.  
11.



1658.

1. Beckman, Johann Volk: De casibus fortuitis.
2. Beckmann, Johann Volk: De evictionsibus.
3. Beckmann, Johann Volk: De libello
4. Beckmann, Johann Volk: De jure belli.
5. Beckman, Johann Volk: De donatione Constantini M.  
ca. 14 Distinct. 96.
6. Joebus, Christophorus Heinricus: De regno.
7. Pommerus, Casparius: De legibus.
8. Richter, Christophorus Philippus: De prosopolepsia  
circa infligendas pœnas.
9. Richter, Christophorus Philippus: De successione feudi.
10. Richter, Christophorus Philippus: De injuriis
11. Rolfincius, Guernerus: Tractatus, quo ad principia,  
potes communes et proprias, differentias, causas  
et symptomata, eundem curatiorem, offensus et expos-  
~~on~~ mit, neus, ventitationi et dilucidationi proponit.


12. Schuidelius, Franciscus: De ratione status. 22
13. Schroeterus, Ernestus Fredericus: De iuris et facti ignorantia. 23
14. Schroeterus, Ernestus Fredericus: De investitura materia. 24
15. Schroeter, Ernestus Fredericus: De dolo malo. 24
16. Schroeter, Ernestus Fredericus: De sententiis. 25
17. Stranchius, Johannes: Commentariorum ad L. Decretales Austriacae Disputatio I: De Decretionibus in genere. ad l. 29. C. de pactis
18. Stranchius, Johannes: De acquisitionibus per nos, qui sunt in potestate.
19. Stranchius, Johannes: De resolutione in specie dicta.
20. Stranchius, Johannes: De usucapionibus.
21. Struve, Georg Adamus: De dolo et culpa a procuratore praestanda.

22<sup>a</sup> Struvs, Georg Adamus: De usufructu. 2 Suppl.

23<sup>a</sup> Struvs, Georg Adamus: De interdieto unde vi,  
quatenus usufructuarius in eo restitutus. 2 Suppl.  
1688 & 1718.

24. Ungepauer, Praxium: De reconventione

25. Ungepauer, Praxium: De compensatione stricte  
docti.





12950.

1658, 6

6

EXERCITATIO ACADEMICA VI.

DE

REGNO,

*Quam*

DEi & Superiorum indultu,

PRÆSIDE

M. CHRISTOPHORO HEINRICO

LOEBERO, VINARIENSI, AMPLISSIMÆ FA-  
CULTATIS Philosophicæ Adjuncto,

*publicè habendam*

*exhibet*

JOHANNES Söllingh/ Marco-Gvestphalus,

AUTOR.

*Ad d. Martii*

H. L. Q. C.

---

J E N Æ

PRÆLO FREYSCHMIDIANO

*Anno M. DCLVIII.*

28.



LIBRARY OF THE

UNIVERSITY OF

LEIPZIG

1875

NO. 1234

1875

UNIVERSITY OF

LEIPZIG

1875





I. N. I.

DISSERTATIONIS POLITICÆ  
DE REGNO

§. 1.

**U**lemadmodum ei, qui rei alicujus *Proœmius*  
naturam ac indolem probè investigare intendit,  
ea quæ ad ejus planiorem cognitionem ducere  
possunt, præmittere, ea verò, quæ faciliorem ejus  
intellectum impedire, aut quodammodò remo-  
rari possunt, sedulò remove, incumbit: Ita & mihi, qui ali-  
quali dissertatione, non scribendi ambitione, sed discendi cu-  
pitudine ductus, (quod summus DEus felix faustumque esse  
jubeat!) Regnum, non obstante, quòd absolutum hodiè vix  
detur, delineare pro ingenii modulo contendo, faciendum  
arbitror. Fieri autem id commodè poterit, si vocabulum  
Regni ductu *Arist.* ab æquivocationibus, quæ immensos a-  
liàs errores parere solent, liberem; ut ita hisce præmissis pro  
ratione instituti ac temporis, tandem quid Regnum sit, in  
quo ejus natura & essentia consistat, ac denique quâ ratione  
summa potestas in eo acquiri possit, si non ad palatum cu-  
jusvis distinctè ac plenè, saltem breviter ac confusè cuilibet  
obvium sit.

§. 2. Itaque Regnum accipitur vel propriè vel impro- *Vocis æquivo*  
priè: posteriori modo si consideretur, quatuor Regni genera *catio*  
recensentur ab *Aristot. 3. Pol. cap. 14.* quæ haud incommodè  
hoc loco repeti possunt.

§. 3. Primo ergò loco inter species Regni numerat Re-  
gnum Laconicum seu Lacedæmoniorum, cui duces belli per-  
petuò præerant, nomine magis quàm Imperio ac reipsâ. Pri-  
mis

A 2

mis tamen Regni Laconici annis, plenissimam Reges ejus ubique in civitate habuisse potestatem, quæ postmodum à *Lycurgo* imminui cœpit; donec tandem sub *Theopompo* itidem Lacedæmoniorum Rege, regia potestas, creatis Ephoribus, (à quibus, qui singulis mensibus ab iis juramentum repetebant, in vincula pro arbitrio conjici poterant) priorem Monarchiæ regalis formam planè amisit, ex historiis certò constat.

§. 4. Exiguam itaq; aut planè nullam eos potestatem habuisse necessum est, ut vel hinc *Bodino* quis facile asipulari possit, qui 2. de rep. c. 3. p. m. 306. contra *Aristot.* scribere haud veretur, absurdè eum Spartiatarum Duces Regum appellatione amplecti; cum qui jura Majestatis non habent, Reges esse aut dici non possint; nisi Laconicum Regnum absoluti & propriè dicti Regni speciem non esse, ipse largiretur Philosophus. Dicendum itaque, id, quod *Bodinus* profert, alienum ab *Aristotelis* mente non esse; insigniri verò Duces Lacedæmoniorum titulo regio ( ad exemplum aliorum ) ( 1 ) quia hæreditarium ac perpetuum suffragiis populi iis conferebatur Imperium; cum aliàs ut §. præced. dictum, Reges essent nomine magis, quàm imperio, ( 2 ) Summam ac absolutam potestatem habuerunt in procurandis iis, quæ ad sacra aut religionem spectabant, & quod præcipuum erat, in bellis administrandis ac gerendis, dummodò in expeditione bellicâ extra fines reipub. versarentur. Tum enim eo jure, quod in armis ac manu positum est, militibus, quos vel pœnâ vel præmiis dignos censerent, pœnas ac præmia decernere, aliave agere pro lubitu poterant.

§. 5. Comparandi cum his quidem forent antiqui illi Romanorum belli Duces. Eâdem enim potestate, quâ Reges Laconum tempore expeditionis bellicæ gaudebant, nisi in hoc differentiam collocari deprehenderemus, quòd, quemadmodum hi perpetuò, ita illi ad certum tempus hoc munere fungebantur. Proximiùs itaque his accedere Regem Poloniæ, scribit *Scherbuis. in Comment. ad Polit. Aristot. l. 3. c. 10.* cui an fides hoc in passu habenda sit, dubitant alii, quibus hanc litem  
commit-

committimus. Comparanda verò cum his nostro tempore præfectura Hollandiæ, excepto eo, quòd tempore pacis majoris, belliverò minoris sit potestatis, ut ex *Grot. de antiquit. Resp. Batav.* notat *Nobiliss. Conring. in diss. quad. de Regno th. 3.* Tantùm de primo.

§. 6. Secundò inter species Regni ponit *Aristot.* Regnum Barbarorum, quòd merus est Dominatus, in quo unus tenet potestatem Tyrannidi proximam, legitimè tamen & secundùm morem à majoribus partam; ac volentibus, minimè verò indignantibus tanquam servis imperat. Hinc *Aristot.* hoc ipsum vocat *ἀρχὴν πατρικὴν, δεσποτικὴν, καὶ νόμον, i. e.* Imperium hereditarium, herile, legitimum.

§. 7. Ejusmodi verò dominationis generi assuetos fuisse Barbaros magis, quàm Græcos, ac Asiaticos magis, quàm Europæos *cit. loc.* testatur *Aristot.* Quo pertinet, quòd *1. polit. c. 2.* postquam fœminam & servum apud Barbaros eodem esse ordine ac loco ostendit, idem notat, Poëtas dicere, rectum esse, quòd Barbaris Græci imperent; perinde quasi idem sint, Barbarus & servus naturâ. Ad quorum similitudinem seu exemplum regna sua olim instituisse Assyrios, Medos, Persas, Turcas, aliasque innumeras gentes, ex veterum historiis latè probat *Arniseo 2. de rep. c. 3. sect. 5. per tot.* Quanquam hoc nostro ævo, ut post alios benè observavit *Buxhorn. lib 2 instit. Polit. c. 1. §. 3* Dominatum, cum in atrocissimam sæpè deflecteret Tyrannidem, plerèque gentes repudiârunt, adeò, ut exceptis Turcis, Moschis, & aliis paucis gentibus incultioribus, Dominatum vix ac ne vix quidem hodiè invenias. Salutandus hîc iterum *Bodinus*, ut & in sequentibus, nisi brevitati nobis studendum, ipsique passim, inter alios ab *Arniseo 2. de rep. c. 2. sect. 15.* satisfactum esset.

§. 8. Tertium est Regnum veterum Græcorum, quod *Aristot. cit. loco ἀριστοκρατία, αἰρετὴν τυραννίδα* h. e. Tyrannidem electivam appellat. Cùm enim Reipub. aliàs liberæ Curatores, quales h. l. per *Æsymnetas Arist.* intelligit. cum liberâ Tyrannicâ potestate extra ordinem, populi suffragio creabantur, conferebatur iis ejusmodi potestas, vel ad dies

vitæ, quo in casu nullo jure ab officio suo deponi valebant; vel ad certum tempus, aut ad certas causas, veluti ob ingruenti pericula, quæ rectius ab uno averti posse credebantur, ita ut elapso constituto tempore negotiisque peractis, potestate suâ destituerentur.

§. 9. Similes hisce in Repub. Romanâ fuerunt Dictatores, qui ingruente majore quodam terrore, vel à bellis finitimis, vel à Tribunis plebis, sæpè etiâ rei gerendæ & seditio- nis sedandæ, Comitiorum habendorum, *Liv. lib. 7. & 9.* quæ- stionis exercendæ, Senatûs agendi causâ, &c. cessantibus om- nibus aliis majoribus Magistratibus, cum summâ potesta- te, verùm temporali, creari solebant. Quo pertinet quod *Dionysius Halicarnas. lib. 5. Histor. c. 11.* observante *Arniseo supr. cit. loc. n. 15.* Dictaturam appellat, Tyrannidem voluntariam, & Magistratum, qui parem Tyrannicæ potestatem habeat, quæ legibus omnibus superior sit, à quâ consiliorum factorumve rationem repositum non liceat.

§. 10. Quartò recenset Regnum Græcorum, quod flo- ruit temporibus Heroum, quæ in tempora Judicum (quorum Sacræ Veteris Testamenti paginæ mentionem faciunt,) ut re- fert *Cluverus in Epitom. histor. tot. mundi in præfat.* seu Trojana, ut alii volunt, incidere. His populi suâ sponte, ut de se optimè meritis, suberant, haud ægrè ferentes eorum Imperium cer- tis tantum causis sive rebus definitum. Præerant enim iis cum summâ potestate ad bellum gerendum, exercitus du- cendos, jus reddendum & sacra demum, quæ non erant Sa- cerdotalis muneris, procuranda, pares quo ad cætera civibus.

**Definitio**

§. 11. Hæc sunt quæ de acceptione Regni impropriâ ex *Aristot.* producenda fuerunt. Restat ergò nunc, ut propriam, quæ hujus loci est, attingam. In quâ acceptione *Re- gnum est in quo unus absolutam habet potestatem, commune omnium civium spectans bonum.* Quæ Monarchiæ regalis definitio, quia universam ejus naturam ac essentiam in se complectitur, o- peræ pretium erit, ut singula ejus capita justo ordine latius evolvam, eaque, quæ hîc repetenda sint ex aliis, addam.

§ 12. Ante-

§. 12. Antequam verò id agere aggrediar, non abs re *tituli regii*,  
erit, si quædam de ejus nominibus qui regno præst, adjiciam.  
Is ergò nomine latino usitato *Rex* à *regendo* dicitur; apud  
Germanos non ἀκυνηγεῖν *venari*, ut aliis videtur, sed à poten-  
tiâ, quam habet, summâ, nomen habet. Græci eum  
βασιλεύς, quasi βασιον τῆς λέως, i. e. populi fundamentum, ap-  
pellitant. Fuerunt quoque & sunt adhuc diversa apud di-  
versas gentes regum cognomina. Sic commune Regum Pa-  
læstinarum *Abimelech*; Amalecitarum *Agag* fuit nomen; Æ-  
gyptii *Pharaones*, & post Alexandrum *Ptolomæi* fuere cognomi-  
nati. Abyssinorum Rex *Prestegan*, i. e. Apostolici nomen ge-  
rit; quemadmodum Reges Angliæ olim *fidei Defensores* ap-  
pellati, Hispaniarum verò Reges *Catholici*, & Galliarum  
*Christianissimi* nomen adhuc, hodieque servant. Lege *Besold.*  
*discurs. de Monarch. in genere c. 3.*

§. 13. Absit tamen ut quis ex solo titulo regalem di- *qui sæpè sunt*  
gnitatem colligere vel negare velit. Sæpè enim, quia Regis *sine potestate.*  
nomen exosum est, sicut olim apud Romanos, dum perpe-  
tuam Dictaturam quidam affectarent, vel alias ob causas,  
qui regiam potestatem habent, à titulo Regis abstinent.  
Sæpè etiam, velut Regnum, improprie nonnunquam capi  
dixi; ita nomen Regis non rarò iis, qui regiam potestatem  
non habent, tribui solet. Ut ergò qui vetus Rex sit pateat,  
datam definitionem explicandam aggrediar.

§. 14. Itaque (4.) ut Regnum omnibus numeris ab- *In regno im-*  
solutum & πανβασιλεία sit, necesse est, ut *UNUS* ei præsit. *perat unus,*  
Sicut enim in familiâ, quæ regni imago est, seu secundum  
*Aristot. 8. Ethic. c. 10. βασιλείας ἔχει σχῆμα*, h. e. Regni habet  
formam, *UNUS* debet imperiû habere, is nempe qui pater est:  
Ita & in Regno *Unius* erit imperium, qui parentis locû obtinet,  
cui æquè cura subditorum ac patri filiorum seu totius familiæ  
commissa ac demandata est. Hinc reges à venerandâ anti-  
quitate *Patres Patriæ* seu *populi* dictos legimus. An autem  
hoc institutum magis fuerit honoris, quàm Imperii causa, ut  
ipsi tanquam Patres subiectos suos, ut filios diligerent; &  
contrà

contrà cives tanquam *Patres*, Reges suos observarent, eleganter admodum suo tempore explicavit *Seneca lib. 1. de Clem. c. 14.* quando inquit: *Patrem quidem patriam appellavimus, ut sciret datam sibi potestatem patriam quæ est temperatissima, liberis consulens, suamq; post illos reponens.* Hæc ille.

§. 15. Neque tantum inter homines, ( ut sc. unus præsit reliquis ) sed etiam inter animalia bruta reperire suo modo licet. Hinc: *natura*, inquit, *Seneca cit. loc. n. 19. commenta est Regem: quod ex aliis animalibus licet cognoscere, & ex apibus; quarum Regi amplissimum cubile est, mediog; ac tutissimo loco.* Si itaque duo æqualis potestatis in regno darentur, neuter reverà Rex esset, quia uterque essentiali veri Regis characterè, nempe summâ potestate, destitueretur. Eum enim, qui absque alterius consensu gubernare non potest, summa potestate non præditum, adeoque Regem non esse; aut si quis verè Rex habendus sit, eum nec parem nec superiorem, adeoque nec socium in suo regno habere posse, ipsa recta ratio concludit. Sic v.g. ipsis Lacedæmoniorum ducibus, quorum duo erant, ex familiis Germanorum fratrum Proclis sc. & Eurysthenis, ex hoc unico haud absurdè veri Regis nomen Politici denegârunt, quamvis, ut ex superioribus constat, ob aliam etiam rationem tales illi non fuerint.

qui Majestatem habeat,

§. 16. (2.) Non sufficit unum in Regno omnia gubernare, sed necessarium est, ut hoc ipsum peragat jure proprio, & non ab altero superiori ad tempus concessio, adeoque vi summæ potestatis, quam omnes propriè dicti Reges ( Licet quandoque alii intensius, in summo veluti fastigio summæ potestatis locati, alii verò remissius hæc gaudeant ) possidere debent. Per summam autem potestatem, quam aliàs magnificâ voce *Majestatem* appellant, hoc loco intelligimus talem in civitate potestatem, cujus actus alterius juri non subsunt, ita ut alterius voluntatis humanæ arbitrio irriti reddi queant. *Grot. l. 1. d. J. B. & P. c. 3. n. 7.*

hæc tamen non in solo regno est.

§. 17. Istam tamen non in regno solum domicilium legere putandum est. Convenit enim illa omni omnino Reipublicæ sive in eâ unus, sive pauci, sive omnes, boni publici,



publici, aut privati sint studiosi. Fluit hinc, reliquas, quæ eâ destituuntur, Reipublicæ propriè sic dictæ nomen non mereri, utcunque jure suo municipali utantur, vid. *Arnsf. 2. de republ. c. 1. sect. 1.* Hinc Aristot. 3. *Polit. c. 6.* in definiendâ Reipublicâ occupat; *Res publica, inquit, est ordo, cum aliorum civitatis imperiorum, tum ejus maximè, quod potestatem atque auctoritatem in civitate habet omnium maximam.*

§. 19. Ex quibus omnibus certius omni eo, quod est *cujus vi Rex* tiffimum, existit, Reges nulli præterquam soli Deo subiectos *superiorè non* esse, à quo omnis potestas in eos, vel mediatè per causam *secundam, i. e. hominum ministerium, ut vulgò fit, vel im-* mediatè ab ipsâ causâ primâ, Deo scilicet, non ministrante *secundâ, i. e. homine, quod in Veteri Testamento sæpiùs* factum legimus, derivatur. Hinc scitè *Güntberus in Ligurin. lib. 6.*

————— *Nullum caput ista super se*  
*Aspicit, excepto cælorum Rege, potestas.*

§. 20. Dicendum verò aliud forsàn esset, si fastuosum *reclamanti-* Pontificis Romani arbitrium, legis vim apud nos obtineret, *bus Papais,* nec natura summæ potestatis, quæ superiorem nullum agnoscit, reclamaret. Quanquàm non diffitear, gravissimos in hoc passu inveniri Pontificis propugnatores, inter quos post hominum memoriam acriores semper extiterunt *JESUITÆ,* qui postquâ potestatem regali majorè, sub titulo *SANCTITATIS PONTIFICIÆ* fingere, ac omnem omninò regalem dignitatem pedibus Pontificum quasi subjicere cœperunt, ipsorû Pontificum decreta, & ex ijs petitas ratiocinationes Canonistarum infirmas sanè ac ridiculas, quasi jactabunda eorum *di-* cteria in re arduâ argumentum juris præberent, producant.

§. 21. Cœterùm potissima eorum argumenta eò collima *sine ratione.* re apparent, ut probatâ, quæ divinitùs creditur commissa Pontificibus, vicariâ in his terris potestate, probatum quoquè censeant, Imperia omnia ad libitum Pontificum constitui, in pœnam mutari, scepra adempta aliis committi &c. ab illis posse. Verùm quanquàm ex abundanti hâc vice vicariam Pontificis potestatem dubiam reddere nolimus, superioris

B

CUM

cùm sit cathedræ hanc rem tractare; consequentiam tamen hinc minimè fluere dicimus. Si enim vicariam hanc potestatem intueamur, limitatam ac planè ministerialem, non illimitatam & *αὐτοκράτορικήν* quandam potestatem penes Pontifices, si quæ est, quilibet inveniet: quippe loca illa, quibus eam astruunt, disertè hanc ad mandata divina restrictam esse docebunt. Quâ de re videatur *B. Gerhard. in loc. de minister. Ecclesiast. num. 200.*

§. 22. Nulla itaque probat ratio, vicariam Pontificis potestatem ad temporalia extendi posse, sed, si quam habet, spiritualibus saltem, v. g. ut eâ potestate sibi concessâ pœnitentibus peccata remittere, eadem impœnitentibus reservare, & quæ sunt muneris sacerdotalis, administrare possit, ab ipso Salvatore, Christo scil. alligatam esse.

*Restrictio quædam*

§. 23. Unde reliquum jam est, ut, quia in has quidam rapiuntur cogitationes, quos inter est *Petrus Gregor. Tholozan. lib. 16. de republ. c. 5. n. 7.* aliud esse jus Regum Galliæ, Hispaniæ & aliorum Regnorum; aliud verò ipsorum Imperatorum Romanorum, atque de illis verum quidem, quod diximus, esse, non verò de his, certò sibi persvadent, contrarium breviter ostendam.

*reijcitur.*

§. 24. Hinc dico: Si penes Imperatorem ac Status Imperii est majestas, quod à nullo, ut opinor, negatur, sine manifestâ contradictionis implicatione dici non potest, hos à Pontifice dependere; nam habere Majestatem & independentem potestatem, ac nihilominus ab alio dependere, contradictoria sunt. Cùm autem duo contradictoria simul vera esse nequeant, aut concedendum Imperatorem & Status Imperii à Pontifice non dependere, aut dicendum erit, Imperatori & Statibus Imperii Majestatem non competere, quod falsum; & à mente ipsorum dissentientium planè alienum est.

*Obj. 1.*

§. 25. Contradicentium verò errorem inter alia hinc promanasse, vero verius est, quòd, quia (1) Imperatores Romani diadema à Pontifice recipiunt, ac quandoque ab eo coronantur, (2.) Imperium Romanum à Pontifice Romano in Imperatores esse translatum credunt, superioritatem

tem in Imperio Pontifici Romano assignandam esse, putarent.

§. 26. Verùm enim verò frustra quid præsidii in eo reponunt dissentientes. Nam (1.) annales Romani probant, nulli Imperatorum diadema aut coronam è manibus Pontificum capere licuisse, ante adeptam Imperatoriâ Majestatem, quam eo ipso, quo ut primitus ab universis Imperii Romani Proceribus, ita hodiè à Serenissimo Electorali Collegio electi fuerint, possident, ut privilegia confirmare ac concedere, aliaque jura Imperialia exercere possint ac debeant, vigore *A. B. Carol. IV. c. 2. §. Und' dieneil von alter. &c. & seq.* Huc faciant quæ prudenter *Nobiliss. Becker. in synops. jur. P. 1. 2. c. 3. num. 17.* hanc in rem notat: *Coronatio, inquit, nihil novi juris electo tribuit, sed quod tributum, festivè magis significat.*

§. 27. Atque hinc jam liquet, quia coronationis ritus non necessitatis, sed honoris est, nihil hinc pro Pontifice Romano strui posse, adeoque si unquam inauguratio Pontificia impetrata ab Imperatoribus sit, prout factum ferunt à Carolo V. qui à Clemente VII Bononiæ eam petierit, necessitate tamen flagitante id factum minimè esse, præprimis cum id libero Imperatorum arbitrio semper relictum fuerit, hodiè longè certissimum est.

§. 28. Ostendi hoc ipsum optimè potest, modò exempla gloriosissimorum quorundam Imperatorum v. g. Rudolphi I. Maximiliani I. item Ferdinandi II. & III. aliorumve intueamur. Hi enim, quamvis coronationem Romanam, à Pontificibus imponi solitam repudiârint, veri tamen Imperatores extiterunt.

§. 29. Cæterum, quod (2) attinet, Imperium non Pontificis beneficiò, quamvis ei soli hoc ipsum à suis asseclis ascribatur, sed communi populi Romani consensu, collatum est. Nam quod sub titulo Imperatorio olim Carolo Magno Imperium collatum esse sumoperè gloriantur, stare non potest. Ipsi enim, si fides Historicis est tribuenda, imperium partim victoriis, partim pactis, partim etiam propriâ deditioe, nihil verò juris à Pontifice Romano, aut Casare Constanti-



nopolitano sibi tum temporis in illud id arrogante, acqui-  
tum fuerat. Quamvis verò ex superabundanti translationem  
Papæis defensoribus concedamus, sequius quid hinc collige-  
re non est, quàm quòd factâ translatione, omne jus ac Impe-  
rium Imperatoribus æternâ lege collatum fuerit, nisi ( quod  
tamen monstrari nequit ) reservatam fuisse Pontifici superio-  
ritatem, aut Imperatores ei ex pòst facto subjectionem aut  
fidelitatem, quemadmodùm Johannes Papa Ottoni juramen-  
to promisit, promisisse monstrârint.

*Conclusio.*

§. 30. Nos ergò rem totam decreto illo, quòd in  
Comitiis Procerum, tempore Imperatoris *Ludovici V. Bavaræ*  
latum fuit, ut ex *Avant. lib. 6. ann. Bojor. Joh. Latus in compend.*  
*hystor. universal. civil. & Ecclesiast. period. German. 2. c. 23. sect. 1.*  
recenset, concludimus: *Electum legitimè Imperatorem, non ege-  
re Papa confirmatione. Pontifici nullum jus competere in Impera-  
torem, cum sint distinctæ potestates, Civilis & Ecclesiastica.*

*Rex populo  
superior est,*

§. 31. Porrò & hoc veritati non minùs, quàm illud  
consentaneum est: Regem omnibus in regno majorem, à ne-  
mine nisi à solo Deo, non populo, quamvis hic eum consti-  
tuerit, judicari ac deponi posse: Notandum tamen sedulò,  
hoc ipsum de Rege, quâ tali, seu in thesi considerato intelli-  
gendum esse. Augustissimum enim veri Regis nomen ab ex-  
ternâ ejus specie quantum fieri potest, secerni ac separari de-  
bet, cum aliàs haud difficulter tota controversia spontè suâ  
corruere posset.

§. 32. Nec desunt, quibus contra Monarchomachos  
seu populares, sententiam aliàs non inusitatam confirme-  
mus. In eo enim antehâc operosi satis fuerunt *Arnif. in*  
*tract. de autorit. Principum semper inviolabili, Hug. Grot. 1. de l. B.*  
*& P. cap. 3. Claud. Salmas. in defens. regiâ pro Carolo magna Bri-*  
*tannia Rege, & communiter Politici omnes; novissimè verò*  
*hoc ipsum insigni discursu exsecutus est Exc. atq; præcl. Dn. Joh.*  
*Frischmuth, Profess. lingg. Sanct. hujus loci gravissimus, in disc. de*  
*Rege eligend. & deponend. per tot* Ex quibus aliquot myria-  
des fundamentorum, si id præsentis instituti ratio permitte-  
ret, in facili esset eruere; quia verò brevitati nobis studendum  
est,

est, & singula ex ipso fonte commodius hauriri possunt, ideo  
eò B. L. remittimus.

§. 33. Unicum tamen fundamenti loco adjungimus *Probatio.*  
argumentum: Quicumque ubique summam in civitate ha-  
bet potestatem, is alterius judicio subesse non potest. At-  
qui Rex, quã talis, habet summam in civitate potestatem. E.  
Min. probatur: quia alteri subjectum esse. Majestati regie  
contrariatur, quã potestatem superiorem non agnoscit.  
Major verò ex eo redditur clara: quia, si, qui summam habet  
potestatem, apud alium in jus vocari, ac denique sententia  
in eum ferri posset, ferretur ea vel à majori, quod aliàs in sen-  
tentiã ferendã perpetuum est, ut uno quasi ore fatentur Juris-  
periti; vel à minori. At talis qui summam potestatem habet,  
non agnoscit se majorem, ac superiorem. Amini ore itaque in  
majorem, si quod judicium in Regem ferri debet, hoc feren-  
dum erit. Verùm nec sic quidem dissentientium sententia  
ferri ac tolerari potest. Ita enim minor potestas majorem  
compellet ad faciendum id quod volet, non major mino-  
rem, quod cum jure naturæ ac civili manifestè pugnare, ne-  
mo non dixerit.

§. 34. Quibus ita constitutis apprimè judicari po- *Nec datur Ma*  
test, de vulgatissimã illã Majestatis distinctione, quã in realem *jestas realis.*  
ac personalem, quarum illa populi seu Imperii sit; hæc verò  
Imperantiũ priori semper obstructa, dividitur. Eas enim, qui  
re ac ratione paulò lustraverit accuratiùs, simul subsistere non  
posse, sed unam destruere alteram, facile apprehendit. Ete-  
nim si Majestas realis verè Majestas est, posterior quã perso-  
nalis dicitur, talis esse nequit; quia, ut ex antecedentibus  
constat, Majestas subjectionis nescia est.

§. 35. Nequè magis sententiam antagonistarum confir- *Obj.*  
mat elumbe hoc argumentum: Constituens major est con-  
stituto: Atqui populus Regem constituit, E. est major Rege.  
Maj. innititur regulæ Philosoph. quæ est: Causa nobilior est  
suo effectu; item exemplis Regis & ejusdem legati, ut &  
mandantis & mandatarii aliisque. Minor verò hinc patet,  
quia Rex per electionem populi (cujus est. regalem reip. sta-  
tum

tum componere, quemadmodum animæ est corpus informa-  
re) summam potestatem adipiscitur.

*Resp.*

§. 36. In majorem enim primò si inquiritur, ea univer-  
sim vera, prout proponitur, non est. Fallit enim (1) in casu,  
quo constitutio fit in caput ipsius constituentis, non tertii ali-  
cujus, ut notat laudatus *Conring, in diss. citat. de regno tb. 37.*  
(2) procedit in constitutione, quæ perpetuò constituentis  
voluntati velinquitur, prout in allegatis duobus exemplis,  
quando sc. Rex legatum, mandans mandatarium constituit,  
fieri videmus; fallit verò in eâ constitutione, quæ ab initio est  
voluntatis, postea necessitatis *Vid. Hug. Grot. cit. loc. num. 8.*  
Taceo, quòd Canon ille Philosophicus loco probationis  
adductus multas patiatur instantias. Ita v. g. Sol potest  
producere animalia, quibus est ignobilior: alia jam  
omitto.

§. 37. Minorem (2) explosâ propositione majore, quod  
attinet, ea similiter nãvis suis non caret. Nam (1) falsum est,  
omnes Reges à populo constitui. (2.) esto, quemvis Regem à  
populo constitui, primò tamen non habet potestas illa homi-  
nes auctores; quia hi ei nihil potestatis conferunt, sed eam,  
quam DEus Regis personæ concessit; adeoque Rex à populo  
tanquam causâ ministeriali declaratur, ut is sit, qui potesta-  
te divinitus concessâ omnia gubernet. Deinde hóc ipso pro-  
prio se jugulant gladio; quippe eodem momento, quo po-  
pulus propriam potestatem in eum contulit, ac quasi de ma-  
nu in manum tradidit, nihil ex eâ sibi reservavit, sed eam,  
quamcunq̃e habuit, largitus, animo in posterum non reci-  
piendi, et cum irrevocabili concessione eâdem se abdicavit.

§. 38. Nequè est, ut quis hoc fieri non posse opinetur, ut  
sc. quis sui se potestate privet, eamquè alteri concedat. Con-  
trarium enim cum laudato *Grotio cit. loc.* aliisque ex lege He-  
bræâ juxtâ ac Romanâ nullo possumus firmare negotiò. Et  
quidem (1) ex lege Hebræâ, ut pote quâ cuilibet liberum fuit  
in alterius Domini potestatem se ultrò dare, & se submittere,  
se ipsam

seipsum vendere, & per hoc omnem potestatem, quâ cum sui juris adhuc esset, gaudebat, in alium transferre. Textus hanc in rem expressi extant *Exod. 21. v. 1. & subseqq.* ubi ita divina ait Majestas: *Si emeris servum Hebraeum, sex annos serviet tibi, in septimo egredietur liber gratis &c. Quod si dixerit servus; diligo dominum meum, uxorem & liberos, non egrediar liber, offeret eum Domino DEO, & applicabitur ad ostium, aut postes, perforabitq; aurem ejus subulâ, & erit ei servus in seculum &c:* similia *Levit. c. 25. v. 40.* videri possunt.

§. 39. Legem Romanam verò quod attinet, eâ certum est. quemvis hominem se in servitutem ultrò ob pretium participandum vel aliâ de causâ dare posse arg. §. 4. *de jur. person.* ita tamen ut perpetuò facultas in libertatem proclamandi ei adempta sit, per text. express. *in l. 1. & 3. ff. quibus ad libert. proclam. non licet.* Cæterum non tantum à quolibet privato, sed etiam ab universo populo id fieri posse, indubitato verum est, cum nec ratio obstet, nec exempla variarum gentium aut populorum desint. Inter ea, ne ad externos evagemur, exemplo nobis sit populus Romanus, qui, ut histor. Romanae produnt, postquam Augustus non jure, sed armis & de facto libertatem ejus opprimere tentasset, latâ lege Regiâ omnem potestatem abdicativè, non communicativè, ut concurrentem cum Augusto potestatem haberet, prout falso tradunt *Paurmeist.* & alii, in manus regias transtulit, & per hoc ejus imperio sese submitit. Et tantum de hac quæstione. Reliqua, quæ pro & contra in medium afferri possent, aliis committimus. *Vid. inter alios B. Stabl. in Orat. 5. & 6. regulis affixâ.*

§. 40. Consequens hisce porrò est, *Regem legibus esse solutum.* *Rex legibus est solutus.* Majestati enim Imperantium convenit, ab omni legis obligatione liberum iisque majorem esse, factâ interim distinctione, quæ probè notanda, inter leges divinas naturales ac humanas. De prioribus id dici nequit, eas enim Rex quâ homo servare tenetur. Solis itaque constitutionibus humanis, *tam cogenibus quàm dirigentibus* solutus erit. Nam (1.) penes Regem legû ferendarum & abrogandarum est licentia. (2.) in ferendis legibus *perpe-*

*Probatio. 1*  
*2.*

perpetuum est eas ferri à superiore in inferioribus, sed Princeps seipso non est inferior. E. nec sibi tanquam inferiori leges ferre potest; nec est inferior populo, ut ab eodem quædam sint expectandæ. E. nullis humanis legibus ac constitutionibus est obligatus.

§. 41. Licet verò Princeps, ut probatum, non teneatur legibus, nihilominus tamen honestas quandoque flagitat, ut is legibus vivat, quò subditi eò magis exemplo Principis ad obtemperandum legibus invitentur, sintquè in omnibus obsequetiores. Id ipsum nervosè declarat *Excellent. Du. Phil. Horst Orat. & Philos pract. P. P. meritissimus, Academia totius Senior deverandus, in fascic. quest. Et bico Politic. q. 5.* his verbis: *Boni qui sint Principes, ut Reipubl. salutem subditorum, & bonum & commodum omnibus suis in actionib. semper respiciunt & hoc agunt, ut subditi boni efficiantur: Ita hoc unico expeditissimè sese consequi id posse astumant, si ipsi præstent quæ à subditis exigunt, et legibus parendo subditos doceant, legibus parere.* Hæc ille. Unde verè justum et legitimum, illum alibi *Lipsius* dicit, esse Principem, qui in summo fastigio non magnus magis, quàm bonus audire desiderat. Plura qui desiderat, consulat Politicos alios.

§. 42. Cœterùm concludendum ex eo minimè est, detrahi per hoc summæ imperantium potestati, cum à voluntate eorum pendeat legibus se subdicere, & hoc vel illud voluntati suæ relictum agere vel non agere. Aliud enim longè est Regem ad obediendum legibus esse obstrictum & obligatum; aliud, cum se istis sponte submittere. Prius Majestatis luminibus obstruit, non posterius.

§. 43. Denique, an Rex qui alterius Majestatem ratione fœderis comiter conservare tenetur, verè talis permaneat, nec per hoc majestatem amittat, quærunt nonnulli. Nos cum tali fœdere Majestatem stare posse, contendimus. Ratio est in promptu: Quia hæc est summa in civitate potestas, quæ per fœdus non statim tollitur vel limitatur, sed cum eodem salva & illibata esse ac subsistere potest. Plura vid. apud *Grotium* & alios passim.

§. 44. Quia autem ad esse Regis summam, absolutam



ac independentem potestatem requiri haecenus diximus, *i- De juribus*  
deò ut ejusdem natura adhuc clariùs cognoscatur, non pos- *Majestatis*  
sum, quin, antequam pensum absolvam, quædam de Maje- *Regi conveni-*  
statis juribus subnectam. Est enim Majestas nihil aliud, quàm *entibus,*  
quippiam ex multis potestatibus quasi aggregatum, quibus  
divulsis ac separatis, Majestatis essentia facta recta esse nequit.  
Ex aliàs appellatur consueto nomine *jura Majestatis, sacra*  
*imperii, à Feudistis Regalia, Reservata Imperatoris, germanicè*  
*Keyserliche Reservaten und Hoheiten &c.* Inter quas tamen  
appellationes primæ reliquis præferuntur meritò. Regalia  
enim latiùs aliquantò patent, quàm jura Majestatis, & ad bo-  
na imperii extenduntur, *vid. Besold. c. 1. sect. 3. c. 7.* Similiter  
etiam ultima appellatio non est adæquata, 1. quia jura Maje-  
statis non soli Imperatori, sed omnibus perfectis rebus publi-  
cis conveniunt 2. Reservata Imperatoris sunt tantùm ea ju-  
ra, quæ ipsi legibus fundamentalibus non sunt adempta: alia  
autem ab iis majestatis jura dari, per se manifestum est. *Add.*  
*Arnif. l. 2. de Maj. c. 1. n. 3.*

§. 46. Ut verò ad scopum deveniamus, diu de numero *inter qua est*  
jurium, quæ Regi ratione Majestatis suæ conveniunt, solliciti *potestas 1. le-*  
non erimus, sed potiora solùm ex iis sine ambagibus, brevi- *gum,*  
ter attingemus. Inter illa primas assignamus potestati leges,  
sine quibus haud commodè ac feliciter in civitate vivi potest,  
ferendi, mutandi & abrogandi. Potest ergò Rex non solùm,  
quæ è re reipublicæ esse videntur, agenda vel omittenda in-  
jungere, sed etiam leges vel à se, vel ab antecessoribus suis la-  
tas, (secus est in contractibus ab antecessore in imperio cele-  
bratis, qui à successoribus non possunt mutari, sed rectà ad  
eos transeunt,) si salus reip. id requirat, mutare, aut si neces-  
sitas adsit, planè eas tollere, in quibusdam connivere, si du-  
riores sint, lenire, aut denique si nimis angustæ, et hinc ob-  
scuræ, aut ad *presentis temporis malas artes calliditatesq; profligan-*  
*das* non satis comparatæ sint, iis aliquid addere. Quippe le-  
gis humanæ ea est natura, ut propter remp. non autem hæc  
ob legem, sit instituta, atque à voluntate humanâ pendeat,  
non ab origine tantùm, sed et in duratione. *Grot. l. 2. de*  
*jur.*

*jur. B. et P. c. 20. n. 24.* quamvis, ut *idem ibidem* monet, et à nobis indicatum est, leges facile tollere non liceat, nisi probabili de causâ, *peccaturus alioquin earum conditor in regulas justitiæ gubernatricis.*

¶ *privilegi-  
orum.*

§. 47. Pari ratione quoque, si penes Regem est leges condere, conditasque tollere, ei nequaquam denegari debet privilegiorum concessio, in favorem aut odium, circa personam aut factum singulare, salvâ nihilominus lege in aliis. Sic v. g. in criminalibus pœnam quandoque jure superioritatis à Rege mitigari, aut planè tolli posse, præsertim si major reip. utilitas à reo proficisci queat, probant communiter Dd. arg. famosissimæ *l. ad bestias ff. de pœnis*; quanquam rarò, ne eo ipso aliis delinquendi occasio præbeatur, in republ. eò deveniendum, quod loco cautelæ apprimè hoc loco notandum.

2. *belli ac pa-  
cis,*

§. 48. Secundò Regi convenit potestas decernendi in republ. de bello ac pace. Vtrumque in regno à solo Principe fieri, Reipublicæ, cujus salus suprema semper lex imperantibus erit, expetit maximè, cum noxia quæque sæpius toti reipublicæ hinc proficiscerentur, si absque jussu aut speciali superioris concessione temerè privatus quilibet, ductus forsan odio adversarii aut insolentiâ privatâ ad offensivam ejus, ad arma proficere posset. Observatum id tempore *Platonis* fuisse ostendunt verba, quæ apud eundem *lib. 12. dell.* habentur, ut refert suprâ cit. *Tholozan. 11. de republ. c. 1. n. 12.* ubi: *Si quis, inquit, privatim sine publico scito pacem bellumve fecerit, mortis pœna ei sit.*

§. 49. Similiter in republ. Romanâ jus bellum aut arma movendi de reservatis Imperatorum esse capit primùm, sub Julio Cæsare; quamvis non plenè. Comitia enim cum populo partitus est, observante *Sveton. in vitâ ejus c. 41.* Postea successu temporis ab Augusto, Tiberio & seqq. quibusdam, sub quibus status Imperii Romani verè fuit Monarchicus, sublato primùm jure Comitiorum, jus belli ac pacis, ut & legum ferendarum populo planè ereptum fuit, latâ ad hoc postmodum constitutione quadam peculiari ab Imperatoribus,

bus Valentiniano & Valent. quæ extat in *l. unic. C. ut amor. us. cuilib. privat. interd. sit.* donec tandem mutato nonnihil Roman Imperii statu, idem apud Imperatorem totum esse iterum defierit: quicquid etiam dicat *Reinhard. König/part. 1. Theat. Polit. c. 23. num. 107.*

§. 50. Principi ergò, penes quem summa rerum refidet potestas jus belli ac pacis competere ex hæctenus dictis satis liquet. Hinc (1) reliqua bella, quæ absque hujus præscitu aut consensu instituuntur, neque justa esse, neque bonâ conscientia ab ullo moveri posse, per modum consuetarii colligi facile potest. Et sic constat, quid de quæstione illâ: an ab inferioribus adversus summam potestatem belligerari possit? quam *Grot. lib. 1. cap. 4. num. 1.* fusè tractat, judicandum sit.

§. 51. Cui succedit alia quæstio, difficilior forsan: an idem de subditis in certissimo ac extremo vitæ periculo constitutis dicendum sit? Quod disertè negamus, quamvis non desint, qui hæc in parte *Grotium*, virum sanè sumæ eruditionis, quem meritò sequimur, oppugnare allaborent. Tanti enim argumenta ac consequenter responsiones eorum non sunt, ut assensum extorquere valeant. Nam si omnes leges naturales, divinæ ac civiles, contra quoscunque aggressores in extremo vitæ periculo omnibus sui defensionem concedunt; idem quoque subditis contra Principem certis casibus concessum esse non dubitamus, modò, velut *Grot. cit. loc.* probè observandum existimat, inviolabilitas personæ Regis, quam quovis tempore sacræ paginæ fortiter defendunt, à subditis observetur. Nam hanc sanctam vigore officij esse, à jure naturæ edocti sumus.

§. 52. Convenit quoque Regi jus fœdera cum aliis contrahendi, ac ineundi. Cuicumque enim jus belli ac pacis, ei quoque fœderum ex æquo competit, utpote quæ pari passu ambulant. Ut E. bella, quæ ab iis, quibus jus belli nō est, movetur, piratarum, latronum ac hostium conjunctiones seu atrocitæ: Ita eorum, quibus jus fœderum ineundorum non est,

non fœdera, sed conjurationes ac conspirationes sunt & dicuntur. vid. *Buxhorn. i. Instit. polit. c. 11. §. 4.*

§. 53. Per fœdera autem hoc loco intelligimus conventiones publicas ac solennes, quæ jure Imperii cum externis seu vicinis Regibus, populis aut Rebus publicis, iisque vel majoribus vel æqualibus vel inferioribus publicæ utilitatis causâ pangi solent. *Buxhorn. cit. loc. §. 3. Grot. 2. de jur. B. & P. c. 15. n. 1.* Dico i. *solennes*: Nam olim cum penes universum populum in Republ. Romanâ esset summa rerum potestas, constituti erant certi quidam homines, quos vulgò *Feciales*, seu Pacis, belli ac fœderum autores dixerunt, (quæ de re vid. *Histor. & Lexicograph. in voce Feciales*) hi quoties fœdera erant contrahenda, adhibita solenni *præfatione, porcâ causâ* (unde *Virgil. Aeneid. 8.* canit:

— *Et causâ jungebant fœdera porcâ*)

ac interposito juramento, de quibus vid. *Sveton. Tranquill. in Claud. cap. 25. Tholozan. 11. de Republ. c. 11. n. 3.* contrahebant. Hodiè verò itidem fœdera certis, diversis tamen, panguntur solennitatibus; de quibus alii.

§. 54. Hæ solennes conventiones seu fœdera ineuntur vel cum majoribus vel cum æqualibus, vel denique cum inferioribus. Requirit verò status ratio, ne Rex in fœdus à majoribus ac potentioribus oblatum temerè consentiat, ne si sumptus gravissimi sint erogandi, aut auxilium fœderatis majoribus ferendum, vires propriæ atterantur, ac in fine belli, qui dubius admodum existit, tandem majoribus prædæ fiat, ac ab iis opprimatur, quod plerumque in ejusmodi fœderibus fieri solet. *Grot. cit. l. 1. c. 3. n. 21.* Quanquam in fœdere cum potentiori, qui remotus est, minus sit periculi, quàm cum vicino. Quæ autem probè notanda in accipiendo à potentioribus auxilio, §. 11. *cit. loc.* egregiè notat cum aliis *Buxhorn.* qui videatur.

§. 55. Ineuntur autem fœdera (3) maximè utilitatis publicæ causâ, & si opus sit, puta si auxilia contra alios, quorum potentia in partis debilioris subjectionem desinere possent, sint ferenda, aut si commercia apud externos aut vicinos, ad quos antea aditus haud patebat, sint instituenda, aut denique

quæ ab iisdem ea, quorum indigentia omnibus & singulis necessitatis instar est, petenda sint. Hisce addantur ea, quæ Arist. in Rhet. ad Alex. c. 2. 3. & in additamēt. quod l. c. c. ult. annectitur in quibusdam editionibus, eleganter in hanc rē profert. Hoc ipso verò fœdera à conventionibus, quæ privati commodi causâ contrahuntur, fecerni debent; ad quas tamen servandas etiam Reges, non quâ Reges, sed quâ privati obligantur.

§. 56. Huic quartò succedit jus erigendi ac confirman-<sup>4. Academia-</sup>  
di studia Universalia, seu quod idem est, Scholas Regias, Vni-<sup>rum,</sup>  
versitates ac Academias. Majestatis verò jus esse Academias confirmare, ac privilegia, quæ iis concedenda sunt, concedere, omnes uno ore asserunt. Cùm ergò hinc universæ Reip. commodum ac salus proficisci possit. optimi Regis est, eas singulari studio fovere ac conservare: Sicuti contra Tyranni in id laborant, ut Scholas & Universitates destruant & dissipent. Id quod Politici unanimiter omnes inter præcipuas dominationis Tyrannicæ artes seu arcana referendum censuerunt, præcipuè, quia per literarum studia parentium, seu subditorum animi imbuuntur cogitatione libertatis pristinæ, (nam hæc in Tyrannide omnium primò opprimi solet) hinc securitas dominationis Tyrannicæ, quamvis ea rara sit, minuitur, aut, quod semper tyranni metuunt, planè opprimitur. Latiùs hanc rem novissimè exsecutus est Excell. Dn. Johann. Andreas Bosius, Histor. Prof. in hac Academ. Celebratissimus, Præceptor meus honoratissimus, in prælectionibus publicis, ad Agricola Taciti.

§. 57. Ex eo autem, quòd diximus, Academias erigere Maje-<sup>Ad quas Pape</sup>  
statis esse, non difficilè erit explicare quæstionè: An in fundan-<sup>confirmatio</sup>  
dâ Academia confirmatio Imperatoris ac Pontificis Ro-<sup>non requiri-</sup>  
mani sit necessaria? Videlicet nulli, cui summa est rerû potestas, <sup>tur,</sup>  
denegari hoc jus potest, sive id fiat cum suffragio Imperatoris ac Pontificis, sive non. Si tamen de eo, quid in Imperio Romano requiratur, quæstio instituatur, exigui haud erit ponderis. Disputant enim de ea viri summi, quos inter Beckker. in synopsis; jur. publ. lib. 4. c. ult. n. 3. affirmativam defendit. Illius enim, inquit, (1.) confirmatio desideratur, quia Academias constituere sit quid spirituale, hujus, Imperatoris sc. quia hic solus Acade-

*miis privilegia ac immunitates concedit.* Adducit( 2.) quarundam  
Academiarū Exempla, quæ utriusq; confirmatione gaudent.

§. 58. Verùm enim verò Imperatorem in nostro Imperio  
habere potestatem Academiarum erigendarū, negari nequit:  
quod autem prætereà non requiratur Papalis confirmatio,  
clarum est ex eo, quia cui nullum Majestatis jus convenit, il-  
lius confirmatio in fundandis Academiis non est necessaria.  
Sed Pontifici quæ tali, in nostro Imperio nullum Majestatis  
jus convenit. E. illius confirmatio in fundandis Academiis  
non est necessaria. Quibus positis, jam ad primum facilis  
est responsio; negandum, Academias constituere, esse quid spi-  
rituale. Secundum autem nihil probat, nam exempla sunt;  
quæ argumentum probandi rarò aut vix præbent. Iis verò si  
certare liceret, in contrarium ut plurima adduci possent, è  
quibus unicuique Illustris nostræ Salanzæ proferre nobis nunc  
sufficiat, quæ tantùm à Ferdinand. I. tum quidem Romanorum  
Rege tam Caroli V. Imperatoris Fratris sui, quàm sui ipsius  
nomine privilegiis et imunitatib9, dotata fuit, in quâ tamen  
gradus Doctoratûs, et quod probè notadū, in utroque jure, ite  
Magisterii, et qui sunt alii, authoritate Imperatoriâ ritè ac  
legitimè in præmium virtutis ac doctrinæ dignis conferri ac  
tribui solent, cui hætenus nullus ex Pontificibus litem desu-  
per movit, quod sanè factum esset, si de jure suo certi fuissent,  
maximè in re summi præjudicii. Confirmatio Pontificis itaq;  
si adsit, nihil addit, si absit, nihil detrahit dignitatis Academiæ.

5. *Moneta.*

§. 59. Hæc de jure erigendi et confirmandi Academias.  
Pergimus ad jus monetz, quod etiam Regi convenit, ne-  
quaquam autem privato, omniq; Majestatis jure destituto.  
Hinc moneta seu nummus, priusquam autoritate  
publicâ sit insignitus, talis dici non potest, contra  
verò, qui eâ destituitur, adulterinus aut falsus dicendus e-  
rit. Necessarium itaque est, eum qui posthabito superioris  
jussu, proprio ausu monetam, etiam quoad formam intrinse-  
cam valentem, cudit, eamq; omnibus numeris legitimæ  
supponit, Majestatis criminis reum fieri. Hinc eidem gra-  
vissimæ ac atrocissimæ pænæ imponuntur: Nam illicò secun-  
dum

dum Carol. V. *Weinliche Hals-Gerichts-Ordnung*/ omni dilati-  
one summotâ, flammârum exustionibus mancipatur, seu,  
quod in quibusdam locis obtinet, aquâ vel oleo fervente suf-  
focatur.

§. 60. Sunt præterea plura alia Majestatis jura, quæ o-  
mnia Regi, quia hic Majestatem habet, convenire, quivis, me  
non monente, percipit. Ea quoque enumerarem, ac de iis a-  
gerem, si illud sine nimîâ prolixitate fieri posset. Videantur  
interim de illis *Arnisei, Besoldi*, aliorumque Politicorum pro-  
lixa volumina; ego verò regni essentiam declarare pergam. Ad  
hoc (3.) requiritur non solum, ut Rex summâ sit præditus po-  
testate, sed etiam actiones suas ad commune omnium civium *Finis regni est*  
bonum, tanquam finem gubernationis Regiæ ultimum, pri- *Salus publica.*  
mariò dirigat. Sic futurum est, ut, in quo Rex differt à Ty-  
ranno, veri Regis nomen mereatur. Quemadmodum igitur,  
ut in §. 12. diximus, Imperium paternum regiæ dominationi  
est simile, ita et Rex ad exemplum patris famil. gubernare de-  
bet. *Vid. Arist. 3. Polit. c. 6.* Quamvis ergò, penes quem est sum-  
ma rerum, is omnia pro lubitu agere possit ut tamen, quicquid  
agit, honestum ac universæ Reip. utile sit. Rex unicè intendit.  
Hoc enim interest bonos inter verosque et malos Reges, ut  
illi, quod possunt, nolint, hi verò, quod possunt, velint. Quem-  
admodum enim à fine quædam rectæ ac corruptæ dicuntur Res-  
publicæ; ita et quis Rex, quis Tyrannus sit, ex eo deprehen-  
ditur. Notanter a. dicimus, Regem *primariò* intendere salutem  
publicam: quo ipso eum privatam sui utilitatem quærere  
posse, non negamus, modò id fiat *secundariò*, ac ita, ut publi-  
ca non negligantur.

§. 61. Fatendum autem omnino est, summam, omnibus  
numeris absolutam et perfectam felicitatem, postquam ho-  
minum felicitas in infelicitatem post lapsum protoplastorum  
prohdolor! potius degeneravit, obtineri in hac vitâ non  
posse; nihilominus tamen restat adhuc aliqualis beatitudo  
in hac mortalitate, quæ, quamvis pristinæ felicitati, quæ est  
perfecta operatio secundum omnes virtutes, non respondeat,  
saltem de ea quippiam participet. Huc enim tendunt omnes  
nostræ actiones, huc boni appetitus, nobis à natura inditus,  
ut

ut benè notat *Conring. in disp. quâd. de optim. Republ. lib. 2.* Hicque *μαναγισμός* et summum nostrum bonum, non in voluptatibus nec divitiis consistit, sed in eo, quod homo secundum perfectam virtutem operatur. Id tamen corporis et fortunæ bonis carere nequit. Pertinet huc, quod habet *Aristot. l. 1. Polit. c. 4.* Nam, inquit, *sine rebus ad victum necessariis neq; vivere neq; benè vivere fas est.* Addatur *Accorambonius in annot. ad l. 1. Ethic. et alii.*

S. 62. Regis ergo, et cuiusvis alius boni Magistratus est, non tantum hæc scire, sed etiam in id laborare, ut enumerata in civitatē introducantur, et introducta conserventur. Bonos itaque mores ante omnia foveat, præmiis ornet, malos contra detestetur, tollat, iisque condignas constituat, & si qui sunt, malefactoribus injungat, pœnas. Præterea prospiciat subditis de fontibus salubribus, aliisque quæ ad tuendam ac conservandam sanitatem requiruntur. Curet ut importentur & exportentur, quibus subditi ditescere possint. Breviter: Rex secundum virtutis præscriptum agat, ac ea quæ interim Reipubl. accelerare possint, non sciat tantum, sed & prudenter, ut par est, vitet ac tollat; ea verò, quæ ad eam instituendam ac conservandam, seu quæ ad salutem, diuturnitatem, felicitatem, securitatem & incolumitatem universæ Reipubl. spectant, in eandem introducat, & ab externâ vi eam tueatur, ne aliorum pravitas subditorum felicitatem interrumpere possit. Pertinet huc quod ait *Cicer. l. 8. Epist. ad Attic. II.* Sicut gubernatori cursus; medico salus, Imperatori victoria; sic moderatori Reipubl. beata civium vita proposita est; ut opibus firma, copiis locuples, gloriâ ampla, virtute honesta sit. Sed & hoc addendum: non tantum civilis datur in hac vitâ felicitas, sed etiam alia, quam ex naturæ lumine cognoscere non datur, quâ sc. ad futuram via sternitur, sine quâ civilis potius infelicitas, quàm felicitas est; de quâ passim loquitur Scriptura Sacra. Quia itaque in his terris non tam habitamus, quàm hospitamur, ideo ita Rex de civili præsentis vitæ felicitate prospiciat, ut nec futurâ careamus. Hinc opus est, ut purum DEI verbum amet, hunc in finem Scholas, Gymnasia & Universitates pro  
locorum



locorum conditione erigat, sinceros Doctores vocet, tu-  
eatur, foveat, stipendiis ornet. Hac si sibi curæ fuerint, o-  
ptimi demum Principis ac Regis meretur nomen.

§. 64. Quibus ita positis, satis, ut spero, intelligi potest  
Regni natura ac definitio proposita. Nunc coronidis loco *modi ad R.*  
de modis perveniendi ad summam in regno potestatem, ve- *gnum perve-*  
rùm brevibus, erit agendum. Sunt autem Legitimi tres. *niendi tres.*  
Primus est, occupatio jure belli facta. Sicut enim quivis homo *(1) Occupati-*  
servitutis jure belli subjici potest: ita et totus hominum *bellica*  
plurimorum cœtus subjugari, et potestati occupantis, quoa-  
ei placuerit, subjici potest, ut supra demonstravimus. Hinc  
*Tertull.* ut refert *Grot. lib. 3. de l. B. et P. c. 8. n. 1.* ait: *Imperia*  
*armis quari, victoriis propagari.* Item *Arist. 1. Polit. c. 6.* ait *lex*  
*pacis conventum quoddam est, quò bello capta, eorum, qui vice-*  
*runt esse dicunt.* Quem acquirendi modum omnes gentes, ut  
justissimum hætenus agnoverunt, eoque vastissima Imperia  
subacta ac occupata esse, historiæ produnt. Sic v. g. popu-  
lus Israëliticus jussu Dei terram Palæstinam, ejectis gentibus,  
occupatione suam fecit, ut testis est libellus Josuæ. Ita Im-  
perium Romanum non solum hæc ratione in majus excrevit,  
sed et vastissima Regna et provincias potentissimas Imperio  
& potestati suæ subjecit. Pari ratione Regnum Angliæ, quod  
hodiè post nefariâ sui Regis necè Tyrannicè gubernari mul-  
ti non sine ratione censent, à Regibus primis temporibus ar-  
mis justè acquisitum est, ut tradit *laud. Salmas. in defens. reg. pro*  
*Carol. Magn. Britannia Reg. p. 254. et seqq.*

§. 65. Cœterùm, si hæc vera sint, non potest non verum  
esse, quòd referente *Grot. supr. cit. loc. Alexander apud Curt.* ait  
*Leges à victoribus dici, accipi à victis:* seu acquiri victori seu oc-  
cupanti Imperium tam civile, quàm herile. Herile quidem  
si Historicis credere fas est, à multis acquisitum est. Hinc  
Cyrus major apud *Xenophont. l. 7. παρδσίας* ita loquens indu-  
citur: Quod sit lex perpetua, *νόμος αἰδῖος* in omnibus, ut si  
hostium urbs capta sit, capientium sint et corpora eorum,  
qui sunt in urbe, et pecunia. Cui simile est, quod passim in  
jure Civili in bello capti servi aut mancipia dicuntur, eò quòd  
hominum manu capti sunt. Verùm quia hoc jus tandem a-

D. . . . . pud



puḍ cultiores gentes in ſævitiã ac Tyrannicam poteſtatem, ut  
teſtis eſt *Bod. l. 1. de rep. c. 5.* abiit, meritò inter Chriſtianos (mo-  
dò capti fuerint tales; ſin verò Turcæ, jure talionis ſervi fiunt,)   
expiravit. Hodiè enim Germania noſtra Imperium herile i-  
gnorat, non obſtante, quod umbra quædã ejus in quibusdam  
regionibus ſive provinciis remanſerit. Vix enim nomen Im-  
perii herilis meretur. Civile ergò acquiri æquitas ipſa ſvadet,  
quã de re videantur Jcti paſſim.

Occupationis  
requisita

(1)

(2)

(3)

§. 66. Verùm, ut occupatio jure belli facta legitima cen-  
ſeatur, notanda ſequentia; (1.) ut bellum à ſummã in civitate  
potestate ſuſceptum ſit, de quo ſupr. (2.) ut publica belli de-  
nunciatio ſeu ſignificatio (non utrinque quidem ſed) alteri  
parti, contrariæ ſc. facta ſit, quæ ſi omiſſa eſt, bellum etiam  
juſtiſſimis ex cauſis inſtitutum, ac hinc occupationem, vete-  
res injuſtam pronunciarunt. Sic n. obſervante *Grot. lib. 3. de  
I. B. & P. c. 3. annot. ad n. 5. Joſeph. antiq. Hiſtor. lib. 15.* de tali  
bello dixit: πόλεμον ἀκήρυκτον ἐπάγειν, ἀνομιã: i. e. bellum  
inferre non ante denunciatum, injuſtum eſt. Idem apud Tur-  
cas obſervari refert *Reinking. de regim. ſecul. & Eccleſiaſtico l. 2.  
claſſ. 3. c. 4. num. 13. ex Receſſ. Imper. zu Augſpurg de Ann. 1566. S.  
Aufſ unſer weiter &c. in fin. ibid.* Auch ſolchen vorgenommenen  
Hauptkrieg öffentlich ſeinen Brauch/publiciren/und auſruſſe-  
ſen laſſen. (3) ut bellum ortum trahat ex cauſis juſtiſſimis ac e-  
videntibus, non dubiis ac ſuſatoriis, aliàs ab injuſtitia aut  
peccati graviffimi notã excuſari nequit. Hinc *B. Gerbardus in  
loc. de Magiſtr. Polit. n. 401.* Bellum, inquit, eſt actus juſtitie & ſum-  
mus gradus vindictæ publicæ; unde illud non minùs juſtè, quàm forti-  
ter geri debet. Quã de re latius diſſerere non licet.

2. Electio, qua  
fit

vel per ſortè,  
vel per ſuffra-  
gia; qua illi  
preferenda.

§. 67. Sed pergimus ad ſecundum, qui eſt Electio, ea  
eſt actus voluntatis, quo præcedente conſultatione ex duo-  
bus vel pluribus populi aut Procerum conſenſu, uni ut ma-  
gnitudine virtutis & conſiliorum præ aliis eminenti Imperi-  
um in omnes & ſingulos defertur. Fit autem electio vel per  
ſortem vel per ſuffragia. Priori modo piiffimi quidam Reges  
juſſu divino in populo DEI adepti ſunt poteſtatem. Poſteriori  
verò etiamnum hodiè ad ſummum faſtigium perveniunt plu-  
rimi. In eo autem Politici torquere ſe ſolent: Utrùm Electio,  
quæ per ſortem fit, electioni per ſuffragia ſit præferenda? Nos  
non

non obstante quod *Plato* & alii partim exemplis ac dictis sacris, partim  
prophanis testimoniis ducti, sortem suffragiis prætulere; contrari-  
um statuinamus; moti (1) potissimum nullitate fundamentorum,  
quæ à parte dissentientium producuntur, quorum resolutionem confi-  
ctui committimus (2) sortis periculo: periculosum enim est, rem, sa-  
lutem totius imperii aut regni concernentem, potius dubio ac infelici  
sæpè eveniui, quam prudentum virorum suffragiis, committere. Plura  
vid. apud *Arnis. lib. 2. de republ. c. 2. sect. 4. n. 10. Et seqq.* ubi hanc  
rem more suo latè persequitur. Cautiois verò loco hoc addimus, sorti **Cautio**  
tum comittendam esse electionem, quoties candidati imperii pares  
sunt virtute & nobilitate, ut æqualitas difficilem ex his populo electio-  
nem faciat: ut ait *Iustin. lib. 1. c. 10.*

§. 68. Electionem denique (3) excipit Successio, quando in Im- 3. **Successio,**  
perio succedit is, cui vel testamento vel ab intestato non solum res  
defuncto relicta, sed & universum ejus jus, quod defuncto tempo-  
re mortis competiit, jure debetur, vel alias ob causas à vivo imperium tra-  
ditur. De quibus prolixè inter alios *Gerhardus de Magistratu Polit. §.*  
*83. Et seqq.* Illa denique saltem verbo tangenda quaestio: Utrum ele-  
ctio successioni an verò successio electioni in regno præferenda sit?

§. 69. Verùm ut omissis hisce, verbo nos expediamus, sententia  
nostra est: (1) electionem ac successionem pro ratione hujus illiusve **Cui præferen-**  
Reipublicæ minimè sperendam esse. Illud enim quisque optimum, ut **da, electio**  
opinor, censet, quod in more patriæ est; & sine gravissimâ causâ non  
immurandû; si verò in republ. hæc vel illâ modus quidam introducen-  
dus sit, electionem, ut pote quæ plus libertatis continet, successioni  
præferimus. Cui nihil officit rarò inveniri tributam per electio-  
nem summam ac independentem potestatem. Nam consequentia nulla  
est; verum quidem est, quod objicitur, rarò summam per electionem  
Imperantes consequi potestatem; nam quia in eâ, ut diximus, plus est  
libertatis, eligentes prudenter sibi suæque libertati prospiciunt, si li-  
mitatam electo concedant potestatem. Unde & in Republ. Romanâ quoti-  
es Imperator ab Electoribus electus est, præscriptâ certâ regendi formâ sub  
nomine Capitulationis Casaræ, in quam jurare tenetur, Imperium  
acceptat. Sed fit hoc solum ex accidenti, quo recurrendum minimè est,  
quoties de electionis in thesi consideratæ naturâ agitur.

§. 70. Sed instet fortè aliquis & dicat: Electionem innumera  
sequi incommoda, quæ dissidia (ea enim à successione exulant & in e-  
lectione solum reperiuntur) eligentium parturire solent. Sed respon-  
deri potest, nec successionem incommodis destitui, quæ longâ serie  
monstrari possent, nisi contrahendum esset institutum. Add. ea quæ  
*Machiavell. lib. 1. discurs. c. 10. referente Arnis. cit. c. 2. sect. 4. n. 26.*  
notat, item ea quæ apud eundem cit. loc. reperiuntur, ubi latè  
singulas dubitationes remouet. Falsum itaque est, quod *Bodin. 2. de*  
*rep. c. 3. p. m. 305. ait: Nihil periculosius cogitari posse, quam suffragio*  
*seu Electioni creationem Regum committere. Tantum!*

D 2

COROLLA



COROLLARIA.

1. *An in statu integritatis futura fuisset Respubl. ? A*
2. *Divitiæ & opes non faciunt Rerumpubl. differentiam.*
3. *Pœna irrogantur secundum justitiam commutativam.*

**T**U benè prospicies olim Patriæ, quia REGNI  
Optima quæque vides, optima quæque doces,

*Pereximio Literatissimoq; Dn. Respondenti,  
Concivi ac Amico suo suavissimo amice  
gratulans f.*

M. Henricus Bröfelman Tremon.  
Gueſtphal.

**R**Ex quid sit, quid Regia jura, docebis, Amice?  
*Arguit ingenium, calamus, manus arte polita.  
Maeste tua virtute ! capis Themidisq; coronam.*

Dn. Contubernali gratulab. f.  
Joh. Probst.

**R**egem depingis Söllingi; regia quare  
Hęc Doctrina tua est. Gratulor ergo tibi.

*Conterraneo Conterraneus  
Hermannus Bakius Trem.  
Gueſtphalus.*

**Q**uod præſter doctis multum in palleſcere chartis.  
*Quam nunc exponis docta pagella refert,  
Ac qua mox dignè referet Thymbræus Apollo.  
Pro meritis ritè, digna brabea, Tibi.*

Ita Eximio ac Pererudito Dno Resp.  
Amico ſuo ſuavisſimo gratulab:  
deproperabat:

*Joh. Vereggius. Oſnabrug.*

**F I N I S.**


Jena, Diss., 1658

ULB Halle 3  
004 518 705



f  
5b







12150

1658, 6

6

EXERCITATIO ACADEMICA VI.

DE

REGNO,

*Quam*

DEi & Superiorum indultu,

PRÆSIDE

M. CHRISTOPHORO HEINRICO

LOEBERO, VINARIENSI, AMPLISSIMÆ FA-

CULTATIS Philosophicæ Adjuncto,

*publicè habendam*

exhibet

JOHANNES Söllingh/ Marco-Gvestphalus,

AUTOR.

*Ad d. Martii*

H. L. Q. C.

J E N Æ

PRÆLO FREYSCHMIDIANO

Anno M. DCLVIII.

28.

